

eam in feodum abbati contulit memorato. Quod si eam dominus archiepiscopus non contulerit de consensu capituli maioris in proprium ecclesie supradicte, erit ipsa advocatia pignus domini abbatis pro centum sexaginta marcis, sicut de contractu pignoris huius in litteris domini nostri archiepiscopi continetur, licet in eo non fiat mentio nisi de summa mutui, centum quinquaginta marcarum. Post illum enim contractum recepimus decem marcas, que computabuntur in mutuum, quamdiu traditio in proprium non fuerit consummata; sed et si ante festum beati Andree consummata non fuerit, pecunia tunc solvenda solvetur et erit in mutuum pignoris computanda. Hoc ipsum de viginti quinque marcis ultimi termini iam solutis servabitur bona fide, ut etiam in summa mutui computentur. Promisit autem hanc pecuniam dominus abbas in manus domini O[ttonis] maioris prepositi et domini G[ernandi] decani et domini T[hiderici] de Scherembeke et nostras et T[hiderici] dapiferi nostri.

Acta sunt hec in porticu superiori claustrum maioris ecclesie Magdeburg x Kalendas Novembris presentibus hiis qui nominati sunt et Lodewico et Kraphtone canonicis.

*Original im Staatsarchiv zu Magdeburg s. r. Kloster-Bergische Stiftung 16. Abschrift im Privilegienbuche S. 19—21 mit der Ueberschrift: Advocatiam quomodo nostro monasterio buregravius tradiderit, his suis litteris ipse protestatur, capsula J XX.*

1221, November 8.

74.

*Albrecht, Erzbischof von Magdeburg, genehmigt den Ankauf der Advocatie über die Güter des Klosters Berge durch den Abt Bertram von Burchard, Burggraf zu Magdeburg, und übereignet sie mit allen ihren Rechten dem Kloster.*

In nomine sancte et individue trinitatis. Albertus dei gratia sancte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus. Divini muneris est ut naturalia gratuitis adiuventur et nature defectus artis beneficio suppleatur. Sic rationi studia famulantur, sic memorie serviunt testimonia litterarum. Vt igitur ea que coram nobis geruntur et a sua non decidant veritate et ab humana memoria non recedant, ea scriptis nostris signari volumus et firmari. Notum itaque facimus universis Christi fidelibus, quod nobilis vir fidelis noster Burchardus Magdeburgensis buregravius, rediens a partibus transmarinis, ubi steterat in obsequio terre sancte, propter quod aliquantis fuerat debitis obligatus, cum ipsum urgeret instantia debitorum, obtulit dilecto filio nostro Bertrammo, abbati monasterii beati Iohannis baptiste in monte Magdeburgensi, advocatiam bonorum ipsius monasterii de ipsius manibus redimendam, et buregravio quidem et abbate et conventu eius concordantibus super eo ut advocatia prefata quadringentis sexaginta marcis redimeretur ab ipso. Nos, ne contractus idem dubius haberetur, per verba ipsorum contrahentium exprimi volumus, quid sub advocatie nomine concludatur. Ex eorum itaque